Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

et faustini. qui pro nomine domini nostri ihesu christi post multa ac diuersa supplicia que illata sunt eis a carnificibus. iussi sunt capitalem subire sententiam. ut corpora eorum ligato saxo in colla eorum. sic mitteret de ponte qui vocatur lapideus in tyberim reumatis. quorum corpora dei nutu inuenta condita sunt. iuxta locum qui appellatur sextus philippi uia portuensi. Tunc beata beatrix una cum beato crisippo et iohe presbiteris. et cum aliis christianis leuauerunt corpora sanctorum martirum simplicii et faustini de fluuio. et sepelierunt ea ibi in sexto philippi quarto kalendas augusti. Et hec ut diximus beata beatrix nomine eorum germana soror. postea quam sepulturam fratribus suis martiribusque christi fecit. venit ad venerabilem lucinam et apud eam morata est per menses septem. in quo omni spacio temporis due cornicule cum singulis nucibus aduenerunt. Factum est autem ut quod fuerat beate beatrici commune cum fratribus. vicinus possessor ambiret. Tunc itaque beata beatrix dixit ad eos. Ego non sacrifico demonibus quia christiana sum. Tunc lucrecius dixit ad eam. Accede nunc et sacrifica magne dee diane. et libera te a diuersis suppliciis que te expectant. Tunc beata beatrix exclamauit uoce magna dicens. Nunquam bene erit lucreci. Ego iam tibi dixi quia christiana sum. et domini mei ihesu christi ancilla sum. et reprobis idolis tuis nunquam sacrificabo. Tunc lucrecius iussit eam carceri custodie mancipari. quo usque de ea cogitaret. Cumque in dei nomine obstitisset. fecit eam ambiciosus vicinus lucrecius suffocari a seruis suis. et sic tradidit spiritum domino. Quam eciam sancta ac venerabilis lucina una cum suis sanctissimis fratribus ibi in sexto philippi sepeliuit. quarto kalendas augusti. Post hec ingressus est predium sanctorum et fecit lucrecius conuiuium. in quo insultat sanctis dei dum epulatur. Et erat ibi mulier quedam. que filium suum lactabat. Ille vero infantulus pannis inuolutus vocem emisit in conuiuio coram omnibus dicens. Audi lucreti. Occidisti et inuasisti. ecce datus es in possessionem inimici. Ad hanc vero vocem expalluit lucrecius. et tremor ac timor inuasit eum. Statimque eciam sathanas in eum ingressus. ibi in conuiuio per tres horas uexauit eum. quo usque tollet spiritum eius. Tantus autem metus irruit in omnibus qui aderant. ut simul omnes ad christianos confugium facerent. et christiani facti omnibus enarrarent passionem sancte ac beatissime martiris beatricis virginis christi in conuiuio vindicatam. Lucina autem venerabilis femina cum fugeret asperitate tanta passionis. apparuit ei sancta beatrix dicens. Noli abscedere. quia hoc mise par dabitur ecclesiis christi. Quod factum est domino auxiliante. cui est honor et gloria in secula seculorum Amen.

Eodem die Felicis pape et martiris.

Fuit autem temporibus constantini principis usque ad constancium augustum liberius quidam papa urbis rome. qui tercio exilio deportatus est a constancio. eo quod minime voluisset heresi arriane consentire. Et fuit in exilio annos

In iiij kal. aug.